

utilitatem spiritualem et profectum considerent Confessarii.

7mo. Noverint etiam dictas facultates absolvendi a censuris, commutandi vota et dispensandi super Irregularitate occulta ex violatione censuræ orta Jubilæum ferio acquirere volentibus duntaxat in actu sacramentalis Confessionis et nulla ratione extra eam impendendas esse. Advertant pariter, quod uti Jubilæum semel lucrari cuilibet fidei tantum conceditur, ita etiam hic memoratis facultatibus semel duntaxat gaudere possit. Vnde si quis Jubilæi particeps factus in novam censuram vel reservationem incideret, vigore præsentis concessionis absolvi nequit. Si autem alicujus confessio animo Jubilæum lucrandi instituta ob quamcunque causam fuisset invalida, Confessarius illi impendere potest facultates alias nulliter impensas, cum re ipsa ejusmodi actu Jubilæi gratias consequi non potuit, ne verum de eo est dicere Jubilæi gratias obtinuisse.

8vo. Non obstante, quod pœnitens velit lucrari Jubilæum, tenetur Confessarius imponere poenitentiam salutarem et pœnitens tenetur, non solum eam acceptare, sed etiam implere.

9no. Quamvis Nostra Pastoralis sollicitudo omnium Christi fidelium saluti prospiciat,